



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri  
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De  
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,  
insignes & peruetusti**

**Petrus <Chrysologus>**

**Lvgdvni, 1623**

De paralytico, Sermo L. Diuis Hieronymo ac Ioanni Chrysostomo falso  
ascriptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

ut verum hominem , sed virginis filium confitearis  
 impulsus : dic fratres , ut tantam dignationem tui  
 prædices & proferas creatoris. Et licet ipse genitri-  
 cis sanctæ per hoc virtutes molaris abscondere : ta-  
 men Euangelistæ veritas non Ioseph & Mariæ , sed  
 Cleophae sororis eius filios , quos tu fratres appellas ,  
 probat & asserit exiisse : usus enim temporis etiam  
 præsentis germanorum & germanarum filios , fratres  
 noscitur nuncupasse. Nunquam enim contra pietati-  
 sis ordinem matrem dominus extero , hoc est Ioanni  
 commendasset ex cruce , si alios ipsa præter illum filios  
 suscepisset : sed virginis virginem tradit , ut inter tales  
 cura sola sacramenti , sola societas religionis habere-  
 tur : nec mundanæ sollicitudini discipulus tantus iste  
 seruiret , sed prædicaturus virginitatis partum , domi  
 haberet unde hoc dubitantibus approbareret : at Iaco-  
 bus unius fœminæ & marris habere non potuit eu-  
 ram : qui inter primordia , & in illo Iudaico tune furo-  
 re Hierosolymitanam singulariter rexit Ecclesiam :  
 bene addidit Dominus : *Non est Propheta sine honore , nisi in patria sua.* Ecce qualiter carnales sapiunt ciues :  
 ecce qualiter mundani parentes sentiunt & honorant.  
 Beatus qui cum patrem meruerit , habere Deum , præ-  
 ter coelestem patriam nil requirit .

---

*De paralytico , Sermo L.*

*Divis Hieronymo ac Ioanni Chrysostomo  
 falso ascriptus.*

**C**hristum in humanis actibus diuina gessisse  
 mysteria , & in rebus visibilibus inuisibilia  
 exercuisse negotia , lectio hodierna monstrauit . *Af-* Mateb. 13.  
*cendit , inquit , in nauiculam , & transfractuit , & venit in*  
*civitatem suam . Non ne ipse est qui fugatis fluctibus*  
maris

maris profunda nudauit: ut Israeliticus populus inter  
**Exod. 14.** stupentes vndas sicco vestigio velut montium conca-  
**Matt. 11.** ua pertransiret? Nonne hic est, qui Petri pedibus  
 marianos vertices inclinauit, vt inter liquidum hu-  
 manis gressibus solidum præberet obsequium? Et  
 quid est quod sibi maris sic denegat seruitutem, vt  
 breuiissimi lacus transitum sub mercede nautica trā-  
 fretaret? *Ascendit, inquit, in nauiculam, & transfreta-  
 uit.* Et quid mirum fratres? Christus venit suscipere  
 infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes,  
 humana querere, præstare diuina, accipere iniurias,  
 reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates: quia  
 medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: &  
 qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non  
 potest conferre sanitatem. Christus ergo si in suis mā-  
 fisset virtutibus, commune cum hominibus nil habe-  
 ret: & nisi impleisset carnis ordinem, carnis in illo  
 esset otiosa suceptio. Sustinuit ergo has necessitates,  
 vt homo verus humanis necessitatibus probaretur.  
*Ascendit, inquit, in nauiculam.* Christus Ecclesiæ  
 suæ nauem, sæculi fluctus semper mitigaturus ascen-  
 dit, vt credentes in se ad cælestem patriam tranqui-  
 la nauigatione perducat, & municipes ciuitatis suæ  
 faciat, quos humanitatis suæ fecit esse confortes.  
 Non ergo Christus indiger naui, sed nauis indiger  
 Christo: quia sine cœlesti gubernatore nauis Ecclesiæ  
 per mundanū pelagus tali, & tanto discrimine ad cœ-  
 lestem portum non valet peruenire. Hæc diximus fra-  
 tres, quantum ad intelligentiam pertinet spiritua-  
 lem: verum nunc ipsius historiae ordinem prosequa-  
 mur. *Ascendit inquit, in nauiculā, & transfretauit, & venit  
 in ciuitatem suā.* Creator rerū, orbis Dominus, postea-  
 quā se propter nos nostra angustiauit in carne, cœpit  
 habere humanā patriam, cœpit ciuitatis Iudaicæ esse  
 ciuis,

ciuis, parentes habere cœpit parentum omnium ipse  
parés, vt inuitaret amor, attraheret charitas, vinceret  
affectione, suaderet humanitas, quos fugerat domina-  
tio, metus disperserat, fecerat ius potestatis extor-  
res. *Venit in ciuitatem suam, & ecce offerabant ei paralyti-  
cum iacētem in lecto, & respiciens, inquit, Iesus fidem illo-  
rum, dixit paralytico: Confide fili, dimittuntur tibi peccata  
tua. Audit veniam, & tacet paralyticus, nec ullam  
respondet gratiam, quia plus corporis quam animæ  
tendebat ad curam: & temporales ærumnas resolu-  
ti corporis sic deflebat, vt æternas penas resolutio-  
nis animæ non defleret: gratiorem sibi præsentem  
vitam iudicans, quam futuram. Merito Christus ope-  
rantium fidem respicit, & vecordiam respicit sic ia-  
centis, vt fiduci alienæ suffragio paralytici anima an-  
tè curaretur, quam corpus. *Respiciens, inquit, fidem illo-  
rum. Cernitis in hoc loco fratres, Deum non quære-  
re insipientium voluntates, non expectare ignoran-  
tium fidem, non infirmorum stulta desideria per-  
scrutari, sed ad alterius fidem subuenire, quod per  
solam gratiam conferebat, cum quicquid diuinæ vo-  
luntatis est non negaret. Et re vera fratres, quādo me-  
dicus languentium aut quærerit, aut respicit voluntates,  
cum semper contraria desideret, & requirat infir-  
mus? hinc est quod nunc ferrum, nunc ignem, nunc  
amara pocula ingerit, & apponit in uitis, vt curam sa-  
ni sentiant, quam non poterant sentire ægrotantes.  
Et si homo iniurias despicit, maledicta contemnit,  
vt sauciatis morbo sponte vitam conferat & salu-  
tem: quanto magis Christus medicus bonitare di-  
uina morbis saucios peccatorum, & phrenesi crimi-  
nali laborantes, ad salutem etiam inuitos attrahit, &  
nolentes? O si velimus fratres, ô si velimus omnem  
mentis nostræ paralysim peruidere, animam nostram**

virtutibus

virtutibus destitutam iacere in vitiorum stratis cerneremus : luceret nobis quemadmodum Christus, & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit, & perurget iniuitos.  
*Fili, inquit, remittuntur tibi peccata tua.* Hæc dicens, Deum se volebat intelligi, qui per hominem oculis huc latebat humanis : virtutibus enim & signis comparabatur Prophetis, qui per ipsum fecerant, & ipsi virtutes : peccatis autem dare veniam, quia penet hominem non est, & est singulare deitatis insigne, Deum illum pectoribus inferebat humanis. Probat hoc Pharisæicus linor : nam cum dixisset.  
*Remittuntur tibi peccata tua.* Responderunt Pharisæi.  
*Hic blasphemat : quis enim potest peccata remittere nisi unus Deus?* Pharisæi, qui sciendo nescis, confitendo negas, cum testaris, impugnas : si Deus est qui remittit peccata, cur tibi Christus Deus non est, qui unius indulgentiæ suæ munere totius mundi probatur abstulisse peccata? Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ut autem possis maiora, cape eius diuinitatis insignia : audi eum peccatoris cui penetrasse se retum : aspice eum ad cogitationum tuarum latebras peruenisse : intellige eum cordis cui tacita nudare consilia. Et cum vidisset, inquit, Iesus cogitationes eorum, dixit : quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid enim est facilius dicere, remittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge & ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: dixit paralytico, surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam: & surrexit & abiit in domum suam. Scrutator animarum præuenit mentium maligna consilia, & deitatis suæ potentiam operis attestatione monstrauit, dum dissipati corporis membra componit, nervos

Ioan. I.

uos stringit, iungit ossa, compleat viscera, firmat artus,  
& gressus ad cursum suscitat in viuo cadavere iam  
sepultos. *Tolle lectum tuum.* Hoc est, porta portantem,  
omnes muta vices: ut quod est infirmitatis testimoniū  
sit probatio sanitatis: ut lectus doloris cui sit  
mea cū actionis indicium, ut receptæ fortitudinis  
magnitudinem ponderis afferat magnitudo. *Vade, in-*  
*quit, in domum tuā.* Ne Christiana fide curatus, in viis  
Iudaicæ perfidiæ iam moreris.

---

*De dæmoniaco, surdo & muto, Sermo L I.*

**Q**VI A solito plus sese terris æstus infuderat,  
dju tacui, ne compressio quæ ex desiderio na-  
scitur audiendi, ipsa nobis cynocauinatum genera-  
ret incendium: nunc vbi aerem temperies mitiga-  
uit autumni, dominicum, iuuante Domino, reu-  
camur ad verbum. Cū filium suum quidam surdi &  
muti spiritus furore possēsum ingereret domino  
curandum, Dominum præter morem patientiæ suæ  
Euangelista sic retulit, fuisse commotum, ut antè in  
patris vulnus ipse inueheretur, quām ad filij mo-  
ueretur curam. *Respondens, inquit, unus de turba, dixit;* Mar. 9.  
*Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum*  
*mutum: qui ubiquecumque cum apprehenderit, allidit eum, &*  
*spumat, & stridet deibus & arescit: & dixi discipulis tuis,*  
*ut eiicerent eum, & non potuerunt: qui respondens eis dixit;*  
*O generatio incredula.* Respondens unus de turba, quid  
est quod uno interrogante feriuntur multi: qui est  
quod conquirente uno, incredulitatis notantur  
omnes: quid est quod ad unius vocem tota genera-  
tio superba perfidiæ noncupatur? quid est? quia iste  
non ad Deum venerat, sed ad magistrum venerat: curā  
non à virtute exigens, sed ab arte: tarditatem cutæ  
non causæ deputans, sed curandi impossibilitatem  
discipulo